



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 1. Quænam est materia Baptismi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032



TRACTATUS DE BAPTISMO.

BAPTISMUS est Sacramentum ad spiritua-
lem regenerationem à Christo institu-
tum, consistens in ablutione per aquam
naturalem, & prolatione horum verborum, at
æquivalentium. *Ego te Baptizo In nomine Pa-
tris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Q. I. Quenam est materia Baptismi?

Resp. I. Materia remota est Aqua vera na-
turalis, seu elementaris. Fide Constat 1. ex
Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* 2.
ex perpetuâ traditione & praxi Ecclesiæ. 3. ex
Conc. Later. Florent. & Trid. sess. 7. can. 2.

Sed observa. 1. Sufficit aqua elementaris
proprie dicta, quamvis rebus aliis sit tantulum
permixta; modo usura communem & æsti-
mationem aquæ retineat. Hinc valet Baptis-
mus in aquâ fontanâ, pluviali, marinâ, sive
frigida, sive calida, quamvis sit turbida, lutu-
lenta, sulphurata, ferruginea; modo non sit
corrupta. Item in aqua resoluta ex nive,
grandine, aut glacie, vel ex panno madido aut
luto expressa: quia hæc sunt aqua naturalis.
Imò juxta S. Thom. in lixivio. At non valet

in vino lymphato, saliva, sputo, lacrymis, sudore, aliove simili humore; in cervisia, ptisana, jusculo, in liquore ex vitibus defluente, aut ex herbis floribusve expresso, vel in aqua roseacea ex S. Thom. 3. p. q. 66. a. 4. ad. 5. nam ista non sunt Aqua propriè dicta & elementaris. Neque valet in glacie, nive, pruina, & similibus nondum resolutis; nam in hoc statu non sunt aqua naturalis & usualis, quæ scilicet etiamnum retineat aquæ usum, & possit proximè abluere corpus; alioqui non verificaretur forma: *Ego te baptizo*, hoc est, abluo. Idem dic de aqua cujus tanta sit permixtio, ut potius censeatur corpus mixtum, quàm aqua.

2. In articulo mortis, quando haberi non potest materia certa, debet adhiberi qualicumque dubia sub hac conditione; *si hæc materia sit sufficiens*. & ad hoc sufficit etiam tenuis probabilitas; quia in necessitate subveniendum est salutis proximi omni modo meliori quo potest. Hinc in extrema necessitate, juxta multos, Baptizare teneris in aqua ex sale resoluto, in cervisia admodum tenui, &c. ita tamen ut si sic baptizatus supervixerit, rebaptizari debeat sub hac conditione, *si non es baptizatus*.

3. Extra necessitatem non licet sub mortali baptizare nisi in aqua benedicta, quæ in fonte baptismali servatur, propter præceptum & usum Ecclesiæ & reverentiam Sacramento debitam.

Resp. II.

Resp. II. Materia proxima est ablutio, seu applicatio aquæ immediata & successiva ad corpus baptizandi. Constat. 1. ex Ephes. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vite.* 2. Ex perpetuâ praxi Ecclesiæ, & verbis formæ.

Not. Ablutio non idem est ac expurgatio seu mundatio, nam hæc est effectus ablutio- nis, & potest esse sine illa.

Q. 2. Quæ & qualis ablutio requiritur ad valorem Baptismi?

Resp. I. Sufficit qualibet ablutio, sive fiat per infusionem, sive per aspersionem, sive per immersionem: nam qualibet est vera ablutio. In praxi tamen servari debet modus in una- quaque Ecclesia usitatus.

Resp. II. Necessè est illam corporis partem abluï, & tantam aquæ quantitatem adhiberi, ut ideo corpus dicatur propriè & simpliciter ablutum. Ad quod sufficit ut caput sit ablutum, ut constat ex praxi Ecclesiæ Latinæ; quia ca- put est præcipua corporis pars, & sensuum se- des, in quâ proinde manifestatur principium vitæ animalis.

An etiam sufficiat ablutio alterius partis no- tabilis, ut brachii, pectoris, &c. controver- titur; & licet communiùs affirmant, tamen hoc non est certum: quare graviter peccaret, qui extra casum necessitatis non ablueret ca- put; nam exponeret Sacramentum periculo nullitatis. Hinc Rituale Roman. præscribit,

P. 5

ut si